

CODEX 90. olim signatus 5/38.

Foliorum 166, 205 : 142 mm., lineis plenis saeculo XII. exaratus et rubricatus. Folia rescripta (1—17; 19—26; 29 et 30; 33 et 34; 37—44.) partes sunt antiqui missalis saeculi IX.

1° De antichristo. *Fol. 1—6'.*

Antichristus dicitur, quia in cunctis contrarius erit et Christo contraria faciet — qua ante saeculum iudicandum praefixit. *Pseudo-Augustinus. P. L. 40, 1131—1134. Cfr. cod. 44. loco 16°.*

2° *Petrus Damiani. S. Opusculum de novissimis et antichristo. Fol. 6'—10.*

Dilectissimo fratri Adae Petrus peccator monachus humilem in domino servitutum. Quod me, fr. c. quid ante mundi creationem fuerit — longe ante defunctis. Finit idem dies iudicii. *P. L. 145, 837—842. Chevalier, col. 1816.*

3° De sacramentis fidei christianae. *Hugonis a S. Victore liber II. Fol. 10—147.*

Praefatiuncula. (*rubr.*) Magnae sunt in scripturis sacris — ad divina sublevaret. Eiusdem libri partium distinctiones. (*rubr.*) In hoc secundo libro, sicut in primo *etc.*

Liber II. de incarnatione verbi et expletione et exhibitione gratiae et de sacramentis novi testamenti usque ad finem omnium. Prima pars de incarnatione verbi et tempore gratiae. (*rubr.*) In superiori parte operis huius — Ecce quid erit in fine sine fine. Expliciunt sententiae magistri Hugonis de nono (*lege: novo*) testamento. *P. L. 176. 363—618. Chevalier, col. 1095. Fabricius, Bibl. lat. med. 3. 881 sqq.*

4° *Sententiae seu annotationes in varios sacrae scripturae locos. Fol. 147—160.*

Ait dominus de servis suis: Negotiamini dum venio. Dominus venit — notavit naturalem carnis orationem.

Eadem et similia inveniuntur inter opera Hugonis a S. Victore. P. L. 177, 795.

5° *Excerpta ex capp. 6. et 1. libri VIII. de universo, Rhabano Mauro auctore. Fol. 160—166'.*

(U)num nomen avium, sed genus diversum — glutinare fertur vitri fragmenta. (*De avibus.*) P. L. 111, 240—255

(L)eonis vocabulum ex Graeca origine inflexum — Indi ligneis turribus collocatis tamquam de muro iaculis dimicant. (*De bestiis.*) P. L. 111. 217 B—221 D.

CODEX 91. olim signatus 5/37.

Foliorum 70, 208 : 146 mm., partim columnis binis (fol. 1—54.), partim lineis plenis (fol. 55—70.) exaratus saeculo XIII. Tituli et initiales litterae minio signatae sunt; inter folia 54. et 55. tria folia excisa perierunt; folia 9—24. 35—38. sunt rescripta.

1° Summa Johannis Beleti de divinis officiis.

In primitiva ecclesia prohibitum erat — et mortuus est apud Armenios. Hic finis est summae magistri Johannis Beleth. *Rebus concordat, verbis autem non parum differt a textu edito P. L. 202, 13 sqq. Cfr. Chevalier, col. 255. Fabricius, Bibl. lat. med. 4. 155.*

2° *Quinque versus de phlebotomia. Fol. 70'.*

In Februo minuas VI° X° que Kalendas
Martis et ex dextra; minuas securus Aprilis
XI° laeva; fiatque minutio Maio
Quavis parte libet Junii V° ante Kalendas.
Sic febres vitas, ut non patieris acutas.

3° *Tres versus de cognatis Christi. Fol. 70'.*

Ex Joachim, Cleopha, Saloma tres Anna Marias
Quas habuit nupsit Joseph, Alphaeo, Zebedaeo;
Unius haec mater, haec quatuor, illa duorum.